DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ,
ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIX. NOVEMBRIS.

M. ISAACO RENAVDOT, Doctore Medico, Præside.

Suntne Heroës Bilioſi?

979

ILLVSTRIS totius mundi epitome, homo, partibus longè diverſiſſimis inſtructus fuit, vt in illo, incorporea corporeis, æterna caducis, inferiora ſuperioribus necterentur mirabili ἁρμονίᾳ. Sic perituri ratione corporis, quod cæterorum μόριον eſt, & quo perfectius excogitari nihil vſquam potuit, ſublunarium creditur princeps: In quorum meditullio, velut regiâ, collocatus, præeſt omnibus, iiſque fruitur quàm iucundiſſimè: Capite cælum intuetur & quaſi ſuſtinet, binis pedibus, Θεῶν δώρᾳ ὑπέρτατα, ſoli metitur nec deſerit poſſeſſionem: ambabus vlnis inter vtrumque libratus elementum ad quam libuerit partem ſe dirigit; cum plantis vegetatur & generat, cum animalibus ſentit & movet, totiuſque Naturæ dotes glorioſiùs repræſentat: An illa eſt Heſiodi πανδώρη Deorum omnium inſignita muneribus? Altera pars hominis anima eſt, ſummi hujus opificii nobiliſſima perfectio, quæ ſui particeps authoris, immota regit quælibet ſtupendâ celeritate. Hæc θειοτάτη ἐν ἀνθρώποις ſupra ſortis ſuæ conditionem ſublata, non corpore ſed brutis corporis officiis ſoluta, non rarò divinat: Interdum quoque cæli myſteriis initiata divinum lumen mente conſequitur, & velut ambroſiam præguſtat. Eius ſi quæras cognitionem, operam ludis; ſi putes attigiſſe, hæmorrhoïdas ſpera, aut tibi elleborum decoque: Multa tegit ſacro involucro Natura, neque vllis fas eſt ſcire mortalibus omnia. Ipſa magnis cumulata dotibus convenientem ſibi baſilicam ingreſſa, regem illico cæteris animantibus imperaturum hominem fecit, ab origine prima ſceleris purum, & integerrimum vitæ: qui ſimul atque ſupra modum inſoleſcente genio ad deteriora deflexit, in aura cæleſti caliginem, in mole terrena mortem, inter vtrumque bellum aſſiduum miſer expertus eſt; vnde lucidus intellectus interiores primùm tenebras ſenſit, & appetituum regina voluntas, ſenſuum illecebris delinita, rationem deſpexit commonentem; Tandemque divina licet anima, tanquam Apellis tabula demerſa cœno, propter corporis impuritatem aliquâ mortalitatis maculâ fœdata eſt; ab eo tamen ſine maximo cruciatu non poteſt disjungi, quod amet iis in partibus ſtabulari, quarum operâ diutius vſa eſt.

ANIMAM corpore aceeptam per ſe intelligere ſine ſenſuum miniſterio, vel quicquam percipere abſque corporeo famulatu, haud crediderim: Extrinſecùs autem adveniens corpori, non in hoc quàm in illo mihi videtur perfectior. Verùm ſemel corporis irretita compagibus, nulla pictura tot coloribus oculos intuentium delectavit, quot à ſe promit diſparitates functionum, quas varia corporis & organorum ejus efficit conſtitutio. Animus quippe corpori conſociatus, in actionum ſuarum adminiſtratione, ejus operâ vel præcipuâ ſic vtitur, vt illarum præſtantia omnis vel perverſitas, aut illius conformationi referatur accepta, aut temperamento: ſic prominula turbinati capitis figura ſolidos facit: Et ſi pravis corpus inficiatur humoribus, nunc anima tumultuario rapitur impetu, nunc inſtar brutæ pecudis obmuteſcit. Mens etiam ſibi male conſcia reciprocis concupiſcentiæ & iræ fluctibus iactatum corpus tandem conficit; ac nuſquam pejus quàm in ſano corpore æger animus habitat. Quorum vnio ſingularis ſpiritui debetur; qui ſuo fulgore vniverſo corpori collucet, & cujus miniſterio facultas quæque ſe prodit: In capitis arce regiis functionibus præeſt; in aliis ſenſuum organis ipſaſmet non modicâ varietate diſtinguit; ſenſum vbique impertitur & motum, omnia nutrit, fovet omnia: eo vigente inculpata manent animæ opera, eodem labefactato elangueſcunt, errant, corrumpuntur. Quamquam verò ſit tenuiſſimus, & anguſtiſſimos quoſque meatus penetret, non illi tamen eſt cæleſtis origo, ſed ex puriſſima ſanguinis parte excuditur, diverſus quidem, pro ejus, vnde exurgit, humoris nobilitate obſcuritate-ve. Hinc illa numeroſo diſcrimine naſcitur morum diverſitas & animorum; hic natus ad pacem, hic caſtrenſibus vtilis armis; vt præclarè cum illis actum eſſe videatur, qui peculiari Naturæ beneficio eximiam temperiem ſunt adepti, quâ plurimi metiuntur ſummum hominis bonum: hâc enim revocamur à vitiis atque ad virtutem incitamur, hæc imprimis mentem acuere poteſt, hæc denique omni hominum generi nativam ad res præclaras propenſionem inſerere. Quinimò ipſa virtus heroïca, cæterarum dux & regina virtutum, ab iiſdem pendet humoribus, qui ſublimiori modo mixti & divinâ quadam illuſtrati potentiâ, temperamentum definiunt, harum virtutum ſatibus accipiendis maximè opportunum.

QVI eximiis corporis & animi dotibus, ſupra conditionis humanæ titulos omnes, ad eminentiſſimum illum honoris gradum perveniêre vt quaſi mortales dii ſuſpiciantur, hi verè Heroës ſunt; ita omnibus Naturæ muneribus ornati & habiles, vt non nati ſed à Deo ficti eſſe videantur; Cùm in his ſumma ſint omnia: perſpicaciſſimi ſenſus, ſpiritus puriſſimi, imaginationis vis maxima, iudicium acerrimum, validiſſima mentis acies, feliciſſima memoria. Hi namque ſi honeſtas artes litterarumque ſtudia ephebi ſequantur, anticipant ſocios præcoci velocitate: aut ſi reipublicæ gubernacula adminiſtrent, ſive pacis bellíque opus regium peri lluſtres tractent viri, quaſi quid infra ſeipſos poſitum faſtidioſo deſpiciunt nutu; Imò cuicunque ſe rei addixerint, ita in omni genere excellunt, vt nullam cuiquam mortalium gloriæ partem relinquât, homines divinos diceres, divinitúſque educatos. Nec verò in ipſis minùs præclara ſunt corporis quàm animi ornamenta, quibus omnium oculos perſtringunt: Ecquem enim non moveat corporis dignitas, quæ in illis eminet ſplendidiſſimè? regia majeſtas in vultu, ab aureo blandiſſimæ venuſtatis flore, qui mulieres decet, longè diverſa; imperatorius ardor oculorum, comitas affabilitáſque ſermonis, flexanima oratio in audientium animos influens molliſſimè, ita vt ipſos, quocunque incubuerit, quâdam quaſi machinâ contorqueat: Atque cùm in iis incognitus quidam eluceſcat ſplendor, qui oculos quodammodo faſcinet, ad ipſos ideò velut ad oracula populi omnes confugiunt. Qui verò hæc omnia in vtroque ſexu quærit, vanus eſt: mulieres enim formoſæ ſunt non fortes, & ſi quos in illis impetus mens habeat, ad mitiores ſenſim deducit virtutes, nec vnquam ad heroïcas aſcendit, aut ad Muſarum commercium, quia graviori contentioni ſunt impares: quaſi Proncea illa in viros propenſior fuerit, eóſque maximè quos divina agnatione teneri docet genii celſitudo. Porrò in omni gente hæret quædam vis inconcuſſa, quam hominibus, pro conditione terrarum in quibus naſci contigerit, ſua fata diviſerunt: ſic Septentrionales durioris habentur ingenii, verſipelles ſunt Affri, Græci leves. A ſiatici diffluentes luxu, Itali acuti. Hiſpani elatâ iactantiæ animoſitate tumidi, Galli regali ſemper nobilitate præfulgidi: Vnum Anacharſim tota gens Scythica pluribus ſæculis enixa eſt, nonnullos Chaldæa, Ægyptus paucos, Græcia plures, Italia multos, infinitos Gallia, quæ ingeniorum parens optima, in Heroïbus producendis aliâ quâvis mundi plagâ multò fuit fœcundior: Ideóne in pleriſque noſtrûm viget ſanguis multâ & ſplendidâ bile dilutus? Vtique, inter humores biliоſus ad formandos Heroas conducit maximè; neque tamen ſunt eorum filii noxæ.

BENIGNA parens Natura, quæ temperamentorum momento actiones omnes diſcriminat, ex ſola biliоſa temperie Heroëm fingit. Vbi plurimus eſt ſanguis, ſuis quidem ille commodis corpus beat χύμῳ, κράσει, ἢ ἀρτήσει, ſed animum humi affigens eminentes nunquam, ſummiſſas ſæpè virtutes exſuſcitat, vrbanitatem, benignitatem, gratitudinem: Hinc ſanguinei extemporaneæ ſubtilitatis homines, ſimplices ſunt & aperti, nihil interdum ſupra vitæ moras, amores & ſocietatem æſtimantes, cupedivori, ſenſibus graves, cogitatione tardi, & graviorum munerum impatientes operoſioribus artibus applicari nolunt; ſæpius per ſenſus diſtracti, Circeis carminibus & Phædræ mollitie diſſluentes, irretiuntur: vnde per immoderationes & inter facetias, quærunt impuræ voluptatis materiam, & mortem accelerant anticipatione pœnitendâ. Fallitur qui beatiores exiſtimat pituitoſos, quibus anima pro ſale veluti ſuibus data eſt: hi namque ſomniculoſi, ſegnes, vaſti & agreſtes abhorrent ab omni honeſtate; modico quippe fracti labore & velut inertiæ ſtupore preſſi, glirium vitam trahunt, ac per totum vitæ breviſſimæ tempus iacentes ad focum, aut volutabundi in lecto, Cercophiteci oſtentant larvam, aut Terminum deluſæ antiquitatis Deum imitantur: vnde quaſi iratum habeant ob ignaviam deum, nihil homine dignum cogitant, illud vnicè ambientes ne nativi veterni torpor divertat in iuſti laboris gravitatem. An pituitoſis melancholici hebetiores? quorum frigida & ſicca temperatio mille morborum armata generibus, ipſa vitæ convellit fundamenta; quæ licèt pro terrenæ ſortis conditione incluſum ſuum artificem retineat diutius, effœtum tamen corpus reddit: obrutus enim à frigore innatus calor emergit difficillimè: Vnde à ſucco melancholico pauciſſimi qui excuduntur ſpiritus, impuri, craſſi & obſcuri, nobiles animæ vires turbido concitant motu, illudunt rationi, & ſpectra imaginationi offerunt ſolo horrore fugienda. Ideo melancholici propter denſam illam, quæ menti offuſa eſt, humoris atri caliginem, animum demittunt & contrahunt, hominum conſpectum & lucem averſantur, vitam ſuam fugæ & ſolitudini mandant, omni timent, perpetuâque corporis & animi inquietudine divexantur; Invidi, avari, ingrati, δυσάρεστοι, pertinaciſſimi, indignantiſſimi, ſalaciſſimi, ad iram tardi ſed implacabiles, frangi poſſunt, nequeunt flecti; Iis vitæ ratio triſtis, multis implicita curis & noxia novitate. Eam ſortiti ſunt temperiem graviorum ſcelerum authores, quos format & armat antiquiſſimus pravarum rerum δυμιεργός. Propterea de Heroüm genere malè meretur quiſquis illos homines divinos gravi afficiens contumelià melancholici temperamenti ambitu comprehendit, à quo tamen abſunt longiſſimè, neque vllum habent cum fœdo illo & impuro homore commercium; ſi quas enim melancholicus interdum virtutes poſſideat, integritatem, conſtantiam, prudentiam, eas à bile mutuatur, quæ ſola poteſt, vbi exuperat, auſterum hunc humorem, vt & cæteros, emendare: ſic calore ſuo nigricantis ſucci compeſcit frigus; ſic æthereà fermè puritate obſcuriorem illius colluſtrat molem. Quid plura? niſi melancholico ſucco prædominetur bilis, plures Natura Mammacuthos, Coalemos producet & Onoſandros, Heroas nullos.

INTER hæc nimii ponderis & levitatis damna poſita Heroüm indoles, exerit ſe ſupra humanæ dignitatis faſtigium, vnius bilis opus: quæ multiplici ſcaturiens commeatu, per ductus quos facit patentiores, ab excrementitiis humoribus corpus liberat, partium omnium, gracileſcentium licèt, intendit robur, vehitque nutritionis commoda & vitæ ſuavitatem. Ab ea pariter ſpiritus copioſiſſimi procreantur, tenuiſſimi, limpidiſſimi, à quibus amplæ hæ mentes per rerum omnium ducuntur cognitionem celeritate incredibili. Hinc biliоſorum in rebus inveniendis mira ſagacitas, facilitas in diſcendis, prudentia in diſcernendis, in iudicandis εὐκρισία, dexteritas in agendis, & in omnibus εὐφυΐα. Hæc ipſa bilis eſt quæ exornat virtutibus animum, excitat ingenium, & inertiam ſimul ruſticumque pudorem ab aliis impreſſum humoribus ita ſummovet, vt ſine ejus nitidiſſimo lumine, artes nunquam inveniſſent aut ſcientiam coluiſſent viri. Et ſanè quotquot animo, robore, armis, aut quavis artium inventione floruerunt, hi à bile acceperunt, quidquid illuſtre aut glorioſum peregêre: vtpote cujus eximius calor mentem acuit abditis retegendis, obfirmat iudicium ſicca temperies, quo inventa quæque ſuis momentis ponderent. Vnde qui Heroïcâ hâc temperie gaudent, noctes diéſque de laude cogitant, reſque præclaras moliri geſtiunt, quibus ſe & ſupra vulgus efferant, & immortalitatem conſequantur. Quid moror? Is in quo humores iuſtâ pro actionibus obeundis lance mixti vnius agnoſcunt prædominium bilis, verè biliоſus eſt, ſolus Heros, conſilio, factis, animo cæteris anteponendus & corpore: ſatis procera eſt illi vtplurimum ſtatura corporis, gracilis habitus, frons ſerena, amplum & bene compoſitum caput, vultus tamen ei interdum Socraticus, ſed à dignitate virili non prorſus alienus, vigiliis enim aſſiduóque labore Heroïs aliquando forma perit: tunc pallet ille non vini potu, nec mollitie, ſed validâ mentis contentione: Ingenioſus eſt, liberalis, ſtrenuus, ad res gerendas promptiſſimus; Iracundus quidem ſed placabilis: Inventis clarus, famæ celebritate notus omnibus, aut ipſe princeps aut principibus acceptiſſimus; Ad vtramque fortunam audax, non illum molliunt voluptates, non deterrent pericula, πολύτροπος, qui multis licèt difficultatibus circumventus fortiſſimorum impetus adverſariorum eludit mirâ dexteritate; quin & labaſcentes res ſuas prudentiâ reſtituit ſingulari; Si litteris ſe applicet, omniſcius, non tamen πανσοφὸς, ſed μεγάλου ἐπιστοσύνης ἔργων: diſciplinis omnibus capiendis idoneus; Ita veræ gloriæ cupidus, vt nullus ei ſit deſiderii modus, nullus ſat magnus cumulus meritorum, vtpote qui ſanitatis diſpendio & laborum improbitate nequeat à propoſito revocari; vir ad ſumma natus omnia, & quem quaſi quoddam in terras delapſum numen miratur hominum vulgus. Hæ autem eminentes Heroüm notæ vno in biliоſo reperiuntur: Tantùm ad fingendos Heroas valet bilis, vt niſi quis ejus Imperio teneatur, nunquam in Heroüm numerum venturus ſit.

Ergo ſunt Heroës Bilioſi.

Proponebat Lutetiæ MICHAEL LANGLOIS, Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. XLVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. *Stephanus Bachot.*
M. *Ioannes-Baptiſta Moreau.*
M. *Petrus le Comte.*

M. *Franciſcus Blondel.*
M. *Lancelotus de Frades.*
M. *Iacobus Mantel.*

M. *Claudius Quiquebeuf.*
M. *Thomas Gamarre.*
M. *Antonius Charpentier.*

BIBLIOTHEQUE